

ticum, uti L. Valent. Otto eam recenset: qui duo Viri quid præstiterint, alijs judicandum relinquo. Plurimi sanè & pro eo tempore satis ingeniosi laboris est id opus: nec minorum sumtuum credo fuerit, si rationum Magistros, per quorum manum Beneficentissimus Princeps eas contulit, audire liceret. Verùm & Rhetico & Ottoni sua cuiq; laus debetur & meritò tribuitur: utut interim Mathematici partim συνζηνοί, partim succedentes, totum opus & commodius disposuerint & usibus quotidianis aptius reddiderint. Memoria enim me jam hîc deserit, ut fateri cogar, me nescire, quis Autorum primus Canonem Triangulorum tripartitus fuerit in Sinuum, Tangentium, & Secantium Tabulas. Nec puto majori Lectorem mihi vitio versurum, me à libris minus instructum esse, quam hætenus Copernico quis imputavit, *quod ex libris, quos per paucos habuit, ut ex Rhetico Otto accepit, subsidium suo operi necessarium, petere non potuerit.* Copernicus sanè vixit in seculo, si non aureo, certè argenteo, Canonicus Fravvenburgensis, sine curis domesticis, in Borussîâ, eâ scilicet regione, quam ipse Rheticus in Encomio ejusdem non satis deprædicare potest. Nos in cupreo seculo, inter tot stelliones Monetarios, vix id tueri possumus, quod habemus: ne solliciti simus de novorum acquisitione. Sed ad rem: qui aut vivo adhuc Rhetico aut post ejus mortem, ante ipsam Operis Palatini promulgationem è Sinibus, Tangentibus & Secantibus Canonem Triangulorum construxerunt, ultimi sunt, ex ijs, quibus veterem Canonem accensemus: eorumq; sane plariq;, in primis verò *Wittichius, Fisticus, Finckius, Romanus, Maginus, Clavius, Landsbergius, Vietæ, Byrgius*, rei Trigonometricæ tantum adjecerunt, ut in eo genere plus non potuisset addi.

Prima verò pars Canonis Veteris, Tabulâ nempe Sinuum communis est Canonem etiam novo, unde ejus considerationem in sequentia rejicimus: reliquæ

R

duæ